

## DE SCRIPTURĀ SACRĀ.

## THESIS I.

**S**acra Scriptura sic dicitur, tum à Scriptoribus sacris, & ab Autore primario, qui est Deus, & Spiritus S. tum ab Objecto, & materia seu re contenta, quam proponit, & in qua occupatur, tum deniq; à fine ac effectu, eò quod sanctificet, sanctamq; religionem & cultum divinum requirat.

*Efficiens causa & Autor Scripture sacre Deus est, & Spiritus S. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed spiritu S. acti loquuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1. v. 21. Tota deinceps occupata est in rebus sacris: Deut. 4. v. 7. Quæ est enim alia gens sic incluta, ut habeat statuta, justaq; judic. ta, sicut est lex ista universa, quam ego propono hodie ante oculos vestros. Custodite ergo & facite, quia ea est sapientia vestra in oculis populorum, qui audient omnia statuta ista & dicent, utiq; populus sapiens, & gens magna ista. Psal. 105. v. 42. Jehova memor fuit verbi sanctitatis sue. Qui annuntiavit verbum suum Jacob: Justitias & judicia sua Israël. Psal. 147. v. 19. Sed & sanctificat: Job. 17. v. 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est: Ut nos simus sancti, sicut Deus sanctus est. 1. Petr. 1. v. 16. Ita vocatur מִכְתָּב אֱלֹהִים. Exod. 32. v. 16. Scriptura Dei erat scripta in tabulis &c. סֵפֶר יְהוָה. Esa. 34. v. 16. Require diligenter in libro Domini, & legite: Unum ex eis non defuit. Scripturæ sanctæ. Rom. 1. v. 2. Deus ante promiserat Evangelium per Prophetas suos in Scripturis sanctis: τὰ ἱερὰ γράμματα 2. Tim 3. v. 15. Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

## THESIS II.

Duo autem in se complectitur, materiale & formale. Illud propriè loquendo sunt syllabæ, literæ, apices, dictiones, quæ rationem subjecti habent. Hoc verò est res significata, sive sensus dicti & scripturæ. Utrumque à Deo originem trahit, & immediate per se divinum est.

*Diversimodè hic loquuntur Autores, ita ut quod materiale nonnullis dicitur, illud alijs vocent formale, ac vice versa: de voculis istis memini licet intendimus, id modo religiosè teneatur, utrumq; à Deo esse.*